

tii significationem acceperit. Aristoteles autem in bona acceptione usus fuit istâ voce.

§. X. Est autem *Urbanitas virtus moralis, quâ honestos jocos & proferre & audire rectè possumus*. Differentia hujus virtutis depromitur ab objecto & proprio officio Urbani, qui Aristoteli *ἑμμελῶς παίζων* quoque dicitur.

§. XI. Objectum ejus sunt jocosa homine probo atque ingenuo digna, sive verbis, sive gestibus & actibus, proferantur: verbis, ut sales & facetiæ; gestibus & actibus, ut in ludis, Comœdiis.

§. XII. Officium Urbani in definitione insinuat duplex. (1.) jocos rectè proferre: (2.) jocos ab aliis prolatos rectè perferre. Notetur autem in utraque particula *Rectè*, hoc ipso enim innuitur hujus virtutis forma & mediocritas, quæ iterum consistit in circumstantiarum omnium & ipsius objecti observatione. Urbanus ergo observet (1.) jocosum qualitatem, ut proferat jocos honestos, decoros, graves & liberales, abstineat autem ab obscenis, contumeliosis, turpibus, levibus, futilibus & scurrilibus. (2.) observet etiam jocosum quantitatem, ne proferat nimium frequentes, *qui enim semper aliis risum movere studet, scurra potius quàm Urbani nomen meretur*. (3.) Observet modum ne joci sint coacti aut inconcinno sermonis genere prolati, sed quasi sponte fluant, ornatoque dicendi genere circumvestiti. (4.) observet circumstantiam loci & temporis, cum nec semper nec ubique ludicra tractare conveniat. Intempestivus enim erit & ineptus, qui tempore luctus, calamitatis, belli, pestis, famis & aliorum malorum facetiis indulgere velit. Itaque non jocandum in Templò, curiâ, senatu, scholis aut aliis in locis, in quibus res seriæ sunt agenda: Sed in conviviiis, nuptiis, festivitibus & aliis in congressionibus, qui ani-  
mi re-